



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXX. De probatione per libros.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](#)

testes habentes notam manum, eaque sufficiens reputari solet.

³⁹ Adhuc tamen, omnino certa regula generalis statui non potest, cum totum pendere videatur ex facti qualitate, & circumstantiis, præsertim ex gravitate materiæ, & ex argumentis, vel suspicionebus, que urgeant, necne.

⁴⁰ Atque hinc manat etiam determinatio quæstionis, quæ disputari solet, præsertim vero in Rota (quæ magis circumspectæ in materia procedit,) super modo faciendi hanc recognitionem per testes habentes notam manum, an scilicet eam facere debeant per partes, sive (ut vulgo dicitur) per senestellas, ut in criminalibus fieri solet. *Vermigliol. conf. 34. Postb. de manut. obser. 98.* Sive inter plures, quarum aliquæ sint veræ, aliquæ autem imitatae, quandoque judicialiter, & quandoque extrajudicialiter ad animi informationem; Ac etiam pro gravitate materiæ vel pro suspicionibus, que urgeant ut supra, solet procedi ad alteram recognitionem per comparationem, adhibendo etiam peritos in arte, qui bene distingue solent scripturas veras ab imitatis, cum observationibus, quas ipsi habent, juxta regulas artis. *juxta casum de quo dicto tit. de testamen. decif. 6. & dec. 336. in principio par. 13. rec.*

⁴¹ Ita tamen, ut fiat cum scripturis veris, quæ proximæ sint illi, de qua agitur, dum scribendi modus, seu character cum tempore variari solet, atque non ita scribat juvenis, sicut senex, vel infirmus, sicut validus. *Franch. dec. 95. ubi Viscont. & alibi add. Genua de script. priv. l. 1. quest. 6. add. ad Vestr. lib. 6. c. 1. n. 26.*

⁴² Item, super facilitiori, vel difficiliiori modo recognoscendi, nimium attenditur, an scriptura sit antiqua, vel moderna, quoniam in antiquis facilius proceditur; Atque ubi antiquitas sit magna ultra centum annos, non indiget recognitione; Dummodo accedat observantia, quæ illi robur tribuit, cum sine observantia solus lapsus temporis non videatur considerabilis. *Gregor. & add. decif. 3. Genua de script. priv. lib. 1. quæst. 4. Buratt. decif. 926.* Et in summa facti potius, quam juris quæstio est, certam non recipiens regulam cuiuscumque casui applicabilem, cum ex prudenti, beneque regulato Judicis arbitrio pro facti qualitate decifio regulanda sit, eo modo quo generaliter in administrativis, ac arbitriis habetur.

⁴³ Posita vero recognitione sufficienti contra ipsum principalem scribentem; Quæstiones quoque cadunt, super retrotractione in præjudicium tertii; Atque super hoc intrant eadem, quæ supra in prima inspectione dicta sunt, an scilicet, recognitio pendaat à solo facto debitoris vero vel contumaciali, vel potius à testibus, super nota manu, vel ab iis qui viderint scribere, ut in primo, & secundo casu, retrotractio non detur, bene autem in tertio, dum ita testes deponentes de ipso actu scripture, tempus quoque implieant. *Gait. de cred. cap. 2. tit. 8. ex num. 3194. Salgad. in labyrinth. par. 2. cap. 21. n. 27. & par. 3. cap. 13. nu. 15.*

⁴⁴ Quando autem apochæ, vel literæ carbii, aliæve scripturæ privatæ, processum exequitivum mereantur, ac de aliis ad rem, habetur infra in singulis judiciis, & præsertim in illo, in quo de judicio vel processu exequitivo agitur in actione personali; Ubi præsertim habetur quam actionem vel obligationem producant literæ cer-

tioratoræ, nuncupatae de ariso, vel illæ quæ continet mandatum, seu commissionem.

Et de literis laudatibus, vel approbatibus, habetur in sede debiti, & crediti. *tit. de credito disc. 90.* ubi etiam de apochis operatoriis, vel affecuratiōnēs, cum similibus. *cod. tit. disc. 106. & seqq.*

Scriptura autem memoriaræ causæ non probat ⁴⁵ contra scribentem, eo modo quo disc. sequ. de literis dicitur. *Buratt. & add. decif. 282. & 666. Serap. decif. 373.*

Item scriptura speciem in jure habere, plerique potant sigillum, vel typum quasi quod, idem ⁴⁷ si subscribere propria manu, vel charactere, ad approbationem eorum, quæ in scriptura continentur, atque eandem scripturam, cum proprio sigillo, vel consueto typo munire. *Thes. jun. lib. 2. quest. 100. Rovit. pragm. 9. de feud. & pragm. 1. de fide memorial. Vestr. & add. lib. 6. cap. 1. Franch. March. decif. 190. & seqq.* Verum periculorum est cum hac generalitate in præxi procedere, atque doctrinas de hac specie probationis loquentes, cum quocumque casui applicare, cum totum pendere videatur ex singulorum casuum circumstantiis, præsertim vero ex usu, capiendo scilicet sigillum, vel typum, non pro eo sigillo, quod pro communi usu retinent homines cum impreffione proprii stemmatis publicè expositum in tabula scribendi commoditati destinatum; Sed pro illo sigillo, vel typo, qui caute penes se ipsum, vel penes fiduciarium ministerium retineatur ad hunc effectum, ut pro minori incommodo sit loco subscriptionis, juxta aliquorum Regum, & Principum, vel supremorum Magistratum consuetudinem adhibendi subscriptionem cum illo typo cui stampa, vel stampiglia terminus datur, ut præsertim Regis Hispaniarum, ejusque Proregum & Vicariorum est consuetudo, quam tamen Pontifex adhuc non habuit.

De probatione per libros.

SVMMA RIVM.

- ¹ **Q**uod materia sit frequens, & quare videatur involuta, cum non sit.
- ² De distinctione generali inter libros publicos & privatos.
- ³ Exemplificatur qui sint libri publici.
- ⁴ Et qui sint privati.
- ⁵ Exemplificantur libri publici, & isti indefinitè probant.
- ⁶ In specie de libro Datarii, vel de libris Camerae super feudis.
- ⁷ Et de libro matrimoniorum Parochi, & circa quæ deferratur.
- ⁸ De eodem libro baptismatum, & quid probet, & quod non probet filiationem.
- ⁹ Et in specie de probatione etatis.
- ¹⁰ De libro montis pietatis Vrbis.
- ¹¹ De libris gabellarum, & dohanarum.
- ¹² De illis libris informibus, quibus memorialium non convenit, illique neque probant contra scribentem.
- ¹³ Qui propriè dicuntur libri formales, seu legales, & qui memorialia.
- ¹⁴ An & quos libros teneatur quis edere colliganti, & quomodo editio fieri debeat.
- ¹⁵ Quomodo iudices in hoc se gerere debeant.

- 16 Libri privati non probant pro scribente, sed bene contra eum, & quid cum tertius.
 17 Fallit ex lege, vel consuetudine particulari.
 18 Item fallit ex administris, & qualia esse debeant.
 19 Et econtra cessat fides ex erroribus, & administris malis.
 20 Qua regula in hoc teneri debeant.
 21 Quales partes debeant habere iudices.
 22 De libris tutorum, aliorumque administratorum.
 23 An liber positi dividit, & acceptari in parte.
 24 De libris Baronum, & Episcoporum, vel Capitulo rum, & Monasteriorum in decimis, & in annis præstationibus.
 25 De bilantio, vel quinternis, & scartafacciis nundinarum.
 26 De libro estimi, seu catastri.
 27 Non probant libri, qui contineant relationem ad aliam scripturam.
 28 De aliis ad materiam &c.

DISC. XXX.

IN genere probationum per scripturam, frequentius in praxi disputant solet de hac specie probationis per libros; Sed quoniam istud libri vocabulum, in ejus lata, & generica significacione, pro communii usu loquendi, complectitur omnem speciem codicis, seu voluminis, cum tamen, plures, diversaque sint hujusmodi codicum species, qua nimium diversam naturam habent; Hinc proinde manat, quod materia reputetur involuta, cum vere non sit; Idque ob consuetum (semper tamen damnabilem) modernorum pragmaticorum, seu collectorum abusum, procedendi cum generalitatibus, atque non reflectendi ad terminorum, vel specierum distinctiones, unde indies experimus totæquivoca, de facili capiendo, quid pro quo.

Distinguenda igitur veniunt librorum, seu codicum species; Primaque magis generica distinctione est, inter libros publicos, qui conficiantur ac retineantur ex debito officii; Et privatos, qui pro negotiis vel administratione natura, vel meliori directione habeantur à quolibet privato negotiato, vel patrefamilias.

Prima species publicorum, subdistinguitur etiam in alias duas, quoniam, Alii sunt libri, qui redoleant quandam speciem registri, qui nempe in eis adnotentur acta, & gesta judicialia, vel extrajudicialia; Et alii sunt libri ratiocinatorii seu computorum, cum adnotationibus dati & accepti.

De prima specie sunt (ex gr.) registra Bullarum, & supplicationum, seu brevium Datariae & Cancellariae, & Secretariae Apostolicae; Sive est liber Datariae, quem retinet super registratione alternativarum; Ac etiam sunt libri Cameræ Apostolicae, in quibus adnotantur investiture feudales, & qui in Regno Neapolitano appellantur quaterniones; Nec non sunt libri visitationum, quas Ordinarii faciunt de eorum diecessibus; Aut libri Ordinationum; Ac etiam sunt libri baptismatum, & matrimoniorum, quos confidere ac tenere debent, & solent Parochi, cum similibus libris vel registris, qui sicut ratione officii super rebus ad ipsum officium pertinentibus; Prout etiam sunt libri, quos retinent Secretarii; Montium, vel alii officiales similium iurium cum Principe, vel Republica super eorum resignatione, vel translatione, aut vinculatione.

Alii verò libri pariter publici continent rationes, vel partitas dati, & accepti, & in regula ratiocinativa, sunt illi libri, qui retinentur, pariter per rationatores, aliosque officiales à publico deputatos, unde propterea ex ratione seu ex debito officii pariter eos conficiant, ac retineant Ut (ex. gr.) sunt libri rationum, quos conficiunt ratiocinatores Camerae Principis, qui alicubi Computistæ, & alicubi rationales appellantur, atque ad instar sunt illi administratores, qui pariter ratione officii conficiunt, ac retinent hujusmodi libros Civitatum seu Communitatum; Ac etiam sub hac specie publicorum, cadere videntur illi rationum libri, qui retinentur per aliquas potius publicas, quam privatas sacras aedes, vel mensas nummularias, quæ sub publica officialium administratione sint, adeo ut alicuius privatæ personæ negotium, vel interesse non concernat; Ut (ex. gr.) sunt In Urbe Mons pietatis; Mediolani bancus S. Ambrosii; Neapoli almadomus Annuntiata; Januæ S. Georgii, cum similibus. de his sacris edibus contradictiis à bancis privatorum camporum tit. de credito discurs. 68. & seq.

De altera vero specie privata, sunt generaliter omnes alii libri, qui alicuius private personæ, negotium vel interesse, sive administratione concernant, adeo ut admixta non sit publica fides, vel auctoritas Principis, vel Republicæ, quamvis non agatur de personis singularibus, sed universalibus, vel communitatibus; (ex. gr.) sunt, capitla, & monasteria aliave simili corpora politia, sive universalia, quoniam & ista jure privatuarum personarum consentunt, juxta ea quæ occasione distinguendi confutendim à prescriptione, sive ad alios effectus superius, ac aliqui insinuantur. supradisc. 21. num. 6.

Quando itaque agitur de prima specie, Regula est generalis, quod hujusmodi libri vim habent publicorum documentorum, ideoque in iis quæ ad officium pertinent, indefinitè probant, tam pro, quam contra, vel cum tertii, quæ leges, vel styli particulares, aut etiam particulares facti circumstantæ, hujus regulæ limitationem non suadeant.

Hinc proinde in materia beneficiali receptum est quod libro Datariae super acceptatione alternativa, aut super aliis quæ in eo adnotari solent, defertur. tit. de benef. disc. 93. ac etiam Dataria vel Cancellariae registris. Nec non, ubi quæstio sit super qualitate feudalium, defertur libris, vel quaternioribus Cameræ Principis, in quibus feuda adnotata sunt. tit. de feud. disc. 2. & in aliis cum similibus; Idemque in libris Secretariorum montium, aliorumve similiūm officialium, super iuribus cum Principe, vel cum Republica.

Ut etiam receptum in praxi habemus in praefatis libris, qui per Parochos sunt, ut adnotentur baptismata, & matrimonia in anno. ad Concil. Trid. disc. 26. Cum restrictione tamen ad ea, quæ proprium officium concernunt, & sic circa administrationem illius sacramenti, non autem quoad alia extrinseca seu accidentalia; Ut (ex. gr.) agendo de libro matrimoniorum, illi defertur super ipso actu matrimonii quod ad formam Concilii celebratum est, coram ipso Parochio, & duobus testibus, in eodem libro adnotatis, sed non defertur circa alia, quæ non concernant factum seu officium ipsius Parochi; Puta circa dotem

dotem, vel pacta cum quibus matrimonium contractum sit; Quinimò neque circa ea quæ ad ipsius matrimonii validitatem tendunt, aliundè justificanda; Putà super statu libero contrahentium; Aut super non existentia impedimentoorum; Sive circa libertatem consensus; Aut super ea qualitate, qua reddat contrahentes veros domiciliarios, ipsiusque Parochi subditos, cum similibus. de quibus tit. de matrim. pluries, quoniam ista sunt extra suum officium, quod strictè veratur in adnotando illum actum matrimonii celebrati ad formam prescriptam à Concilio Tridentino.

Ita pariter in alio libro baptisatum, quoniam ille quidem probat, quod illa persona sit baptizata, ac etiam probat, qui fuerint Patrini, pro effectibus exinde resultantibus, illo præsttim cognitionis, vel affinitatis spiritualis, non autem circa filiationem, & alia, quæ ab eo actu extranea sunt, quoniam est loqui extra id, quod ad ejus officium pertinet; Ad instar eorum, quæ habemus in publico Notario, cui defertur super iis, quæ concernent actum de quo rogatus est, ut super eo, pro debito officii publicum confiat instrumentum, non autem super alii, quæ ab illo actu, ejusque officio extranea sunt, cum in iis habeatur jure privati. Rovit. pragm. 1. de Notar. Galeor. lib. 2. controversial. 66. Capit. Latr. decisi. 1. 4. Gregor. & add. decisi. 177. Buratt. & add. decisi. 95.

Solumque circa alia accidentalia, defertur libro baptisatis super probatione ætatis; Quoties tamen agatur de probatione talis ætatis, ut desumendo tempus à die baptismati, in quocumq; tempore illud suscepimus sit, illa conclusa remaneat, dum baptizari non potest ille qui adhuc natus non est; Secùs autem ubi exinde inferri prætendatur ad tempus nativitatis, ad effectum probandi minorem ætatem, quoniam posuit illi baptizari adulstus; Nisi in eodem libro, ex attestatione parentum vel obstetricis, juxta communem usum, adnotata quoque sit dies nativitatis, talisque adnotatio sit verisimilis, quia nempe, juxta modernum usum Catholicorum, pueri, intra breve terminum post nativitatem, in eo loco baptizari soleant, nullaque tunc vigeat ratio, vel suspicio affectionis, vel fraudis, de qua supicari possit, quando de hoc enunciatio principaliter agatur; Putà (ex. gr.) ad effectum probandi nativitatem præcedentem, pro successione in majoratu, vel primogenitura, in concursu alterius de illo genere, cum similibus. De probatione ætatis ex libro baptisatum, Rovit. pragm. 1. de paroch. Barbos. de Episcop. alleg. 32. Duran. decisi. 18. decisi. 138. par. 6. & decisi. ultim. par. 7. rec. decisi. 279. par. 9. rec. Ciriac. contr. 257.

Hinc rationabiliter manavit privilegium Apostolicum concessum Monti pietatis Urbis, super integra fide ejus libris, eorumque partitis præstante cum revera publici libri censendi sint, istaque sacra ædes sit potius publica, quam privata, ut alibi latius advertitur, dicto dis. 68. de credito.

Super libris autem Dohaniorum, & Gabeliariorum, quæstio cadere solet, an potius publici quæm privati censendi sint, ut sub dicta regula cadant; Atque de stricta juris censura proceditur cum distinctione inter illos libros, qui confiantur per officiales, qui à Principe, vel à Republica, sive à Communitate deputantur,

quamvis gabella locata sit, & qui officiales, credentierū dici solent; Et illos qui confiantur per officiales seu ministros, qui deputentur ab eodem gabellario seu conductore, ut scilicet prius fides præstanta sit, non autem aliis; Quasi quod isto secundo casu, privatum negotium potius agant ipsius conductoris, qui eos præposuit. Gait. de credit. cap. 2. tit. 2. nu. 66. Capit. Latr. consult. 66. & 68. Genua de scriptura priv. in. de libr. off. num. 19. & 20. & n. 37. & seq.

Adhuc tamen, neque id generaliter procedit, quoniam inter tertios, adeo ut cessef interest ipsius gabellarii, haberi solent de communi stylis pro libris publicis, quoties bene tenti sint, modo quo tenere solent officiales deputati a publico, adeo ut sola differentia sit circa deputationem.

Ac etiam eisdem pro communi ferè usu, deferriri solet, ubi pariter bene & ordinatè tenti sint, etiam circa ea, quæ concernant ipsam gabellam; Tam super quantitatē soluta, ad effectum convincendi fraudes; Quam super fide habita de ejusdem gabellæ solutione; Aut super actu affirmativo, vel negativo solutionis, ad effectum probandi observantiam super franchitia, vel super solutione; Ideoque in hoc locorum stylis deferendum venit ipsorumque appaltuum capitulis, quæ pro lege haberi solent. Ottob. dec. 170. Bich. dec. 495. & 503.

Quatenus itaque pertinet ad aliam speciem librorum privatorum, eorumque fidem; Refertendum in primis ad eorum diversas species magis genericas; Non enim omnis codex, vel quaternus, qui libri speciem, seu figuram habet, sive quod ex generica grammatical significacione sub libri vocabulo veniat, legaliter ad hunc effectum dicendus est liber, quoniam illi domestici codices, vel quaterni, qui per viros privatos pro negotiorum domesticorum memoria, & ordinata administratione, confici, ac retineri solent, non librorum, sed memorialium nomen legaliter fortuntur, ideoque neque ipsi met scribenti præjudicant, vel aliquam faciunt probationem; Benè tamen aliquod adminiculum, cum alii conjungendum. dec. 314. apud Post. de manut. Buratt. dec. 274. Royas decisi. 305. 311. & 330. & de omni scriptura disc. præced.

Itaque libri, propriè dicuntur ad hunc effectum illi, qui juxta regulas arithmeticas, vel mercantili more, teneantur, alios habentes codices, vel quaternos præparatorios, quorum unus vulgo nuncupatur ricordo seu squarcia foglio, & alter giornale, ex quibus deinde partitæ ibi adnotatae transportantur in librum, qui ad differentiationem aliorum nuncupatur magister, ut potest seriatim, ac benè ordinatus, cum distinctione dies.

rum, ac temporum, quorum perversio seu posticipatio non adsit, neque de facilis fieri possit; Sive quod, ubi non constet de dictis aliis duabus præparatoriis, attamen ipsius libri series, vel bonus ordo mercantilis, illos præsupponat; Et præsertim si non agatur de negotio recenti, sed alicuius antiquitatis, cum dicti alii codices, magis negligi, ac facilitius perire soleant; Ad instar eorum, quæ superius insinuata sunt, de bastardellis, seu matricibus, aut imbreviaturis Notariorum, postquam ordinärunt prothocollum; Istique propriè, ac legaliter, sunt libri, quos tenere solent, non solum Bancherii, & Campores, ac alii, qui rationis mercatores dicuntur,

ac etiam illi mercatores, qui mercium vel arotum tabernas exerceant, vulgo mercatores fundacarii, & drogherii, aliquae similes negotiantes; Sed etiam viri nobiles, & magnates, qui computistariam tenent, cum ministro perito ad id deputato, qui computista, vel scripturalis dicitur, ut etiam faciunt aliqua Capitula, & Monasteria, & loca pia, aliave similia corpora universalia, seu politica.

Generaliter autem illi libri, seu codices, quos viri privati civilis, vel nobiles, ac etiam populares, retinent memoriarum causa, adnotando absque hac formalitate scriptura eorum negotia debiti, & crediti, sive introitus & exitus, dicuntur memorialia, non autem libri.

Posita itaque hac distinctione; Regula generalis est, quod memorialia, neque probant contra ipsum scribentem, multo minus pro eo, vel inter tertios. *advertisit supra num. 12.* Atque licet supra *dise. 28.* habeatur, quod de stylo Curia derivato ex quadam aequitate canonica, contra regulas juris civilis, constituto de existentia tempore mortis, ac de interesse, teneatur quis edere ejus amulo, & collitiganti iura propria, & praesertim proprios libros; Cum ea tamen moderatione, quae ex facti qualitate, pro Iudicis arbitrio, regulanda est, ut folium teneatur praestare patientiam, ut amulus, vel alter ejus nomine recognoscere, & extrahere valeat illas partitas, in quibus dicat consistere suum interesse; Sive quando id commode non sit practicable, apud ipsummet libri dominum ob aemulationes, quae inter litigantes sunt connaturales, teneatur repouere libros, penes tertium, vel apud Iudicem, ut ita commodius altera Pars eos inspicere, & considerare valeat; Ex ea congrua ratione, quod non solùm expedit videre partitas, quae cadunt in controversia, sed etiam videre initium, totumque ordinem libri, usque ad finem, ad effectum inspiciendi, an sint bene, & fideliter tenui, cum suo debito ordine, ut exinde inferri valeat ad fidem, quae eis praestanda sit, ex eo, quod ubi liber detegatur erroneus, vel mendax, sive alteratus in aliquibus partibus, tali cau ejus fides tollitur, vel minitur, ex regula *semel malus &c.* sive ex dictorio *crimine ab uno &c.* Quod scilicet sicut in illis partibus erratum fuit, sive alteratio commissa, ita & in aliis idem sequi potuit ut infra; At tamen id non procedit in hujusmodi privatissimis memorib; quos tanquam secretarios ac fiduciarios; quis ad propriam memoriam & instructionem, secreto conficiat, ac retineat; Esset enim aliis quædam canonica aequitas, quæ naturalem iniquitatem redoleret, cogendo aliquem ad pandendum secreta domus sua.

Quando etenim conficiuntur, ac retinentur libri formales, juxta regulas arithmeticæ, seu stylum mercantilem, tunc licet illi libri dicantur privati, ad differentiam illorum publicorum qui ratione officii teneantur, ut supra; Attamen quamdam speciem publicitatis habere videntur, neque in eis intrat dicta ratio adnotationis secretorum, quae ipsi patrifamilias tantum innotescere debeant.

Ideoque ad hujusmodi distinctiones omnino reflectendum est, ad evitanda aequivoca, quorum in cursu nimium frequenter expertus sum, quod scilicet plures enunciati Iudices, attendendo regulas, vel doctrinas generaliter

in sola litera, sive solam scientiam habentes per traditionem, non autem per causam, seu per principia, eo ipso quod legunt aliquas decisiones loquentes de obligatione exhibendi proprios libros, in omni codicum, vel quinternum genere id practicare volunt, Advocatorum ratiociniis vel acuminis, hujusmodi distinctiones referendo. *infra num. 21.*

Prælupposito itaque, quod agatur de illis libris, qui legaliter tales dici mereantur ut supra; Regula generalis est, quod probant contra scribentem, non tamen probant ad ejus favorem; Atque inter tertios faciunt aliquem gradum probationis, sed ipsi soli eam perfectam non concludunt. *Gregor. & add. decis. 79. Buratt. & add. dec. 344. & 603. & psim.*

Limitationem tamen eadem regula recipit, praesertim circa probationem favore ipsius scribentis, ubi ex lege particulari, scripta, vel non scripta, ita certum sit. *Buratt. dec. 167.* Ut praesertim in libris mercatorum fundaciorum, rerum virtualium vel usualium, penè ubiquique, saltem intra certam summam, introducetur videtur ex quadam congrua, imo necessaria ratione commercii. *apud allegatos supra lit. Q. decis. 225 par. 10. rec. Buratt. & add. dec. 869. dec. 222. par. 11. rec. & frequenter.*

Ac etiam, cessante hac lege particulari, in terminis generalibus juris communis, Alia recepta est limitatio, ubi liber sit bene adminiculatus, à probitate scilicet, seu legalitate scribentis, & multo magis, ubi iste sit mortuus; Ac etiam ex aliarum partitarum verificatione in toto vel in majori parte, sive ubi veritas partitarum, quae sint in controversia aliunde justificetur, cum similibus adminiculis. *apud proxime allegatos.*

Super istorum autem adminiculorum numero, ac pondera, certa regula dari non potest, quoniam, juxta toties insinuatam naturam conjecturalium, seu adminiculativorum, totum pendet ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, ex quibus, in uno casu modica adminicula sufficiere possunt, in altero autem non sufficiente massa.

Sicuti è converso, quando aliis liber fide dignus esset, ille redditur indignus ob fallacias vel errores in aliquibus partibus. *decis. 1. par. 6. rec. 19. dec. 11. par. 7. 2 § 1. post Zaccb. de obl. cam. & in aliis de quibus supra.*

Iste autem sunt generalitates, que in hac materia habentur, illæque (ut præmissum est) attendi quidem debent pro quadam norma, seu lumine, quo mediante videatur via, per quam ambulandum sit; Verum, od instar viatoris, non per hoc quod ille sciat qualis sit via, debet clausis oculis, atq; inconsideratè per illâ iter peragere sed singulorum locorum qualitatem diligenter inspicere, & indagare debet, cum etiam in viis consularibus adeisse soleant, aliqui passus adeo lutosi, vel saxosi, seu alias incommodi, vel periculosi, ut expedit eas mutare, atque ambulare per scurtos, sive per easdem vias, sed magis circumspicere, & cum majori diligentia, quam fiat, ubi via sit omnino plana & tuta; Et hic est casus, quoniam reflectendum est ad qualitatem personarum, & negotiorum, necnon ad mores regionis, aliasque circumstantias facti, ex quibus potius, quam ex generalitatibus juris, judicium est regulandum.

Ac propterea, ut alibi pluries advertitur. *pra-*

preferunt in relatione Curia disc. 32. & supra num. 15.
(Quoniam tamen inutiliter, quamvis in omni
²¹ *pagina reperitur) desiderandus est iudex, non*
solum literatus, atque in iure bene peritus, qui
istas regulas generales, & limitationes sciat, sed
etiam sit prudens, atque negotiorum proxim, &
experiens habeat, junctam cum integritate,
bonoque fine, cum sine omnibus istis partibus
simil juncit, non de facil detur bonus iudex;
Rarique sunt hodie illi causas, in quibus causularum
decisio pendet à solo punto juris in abstrac-
to.

Dantur autem quidam libri, quibus memoria-
²² *rialium nomen, non congruit, minusque congru-*
ere videtur nomen legalium librorum, ut supra
*quia nempe non continent occulta & domesti-*c*a negotia propria, sed aliena, ideoque publici-*
tati potius expositi sunt, sed librotum formam
verènon habent; Ut pro frequentiori praxi sunt
libri tutorum, & curatorum, seu praefectorum, ac
magistrorum domus, qui non retineant forma-
lem scripturam seu computistariam, sed confi-
ciant libros grossolan modo, tanquam per spe-
ciam memorialium, Credunt autem ita proprio
muneris satisfaciere, quodque tales libri eis suffi-
ciant pro redditione rationum sua administratio-
nis; Et in hac specie quamvis aliqui scribentes
ex genere illorum, qui procedunt cum sola lite-
ra legum, vel cum solis generalitatibus, multas
firmiter rigorosas, ac irrationabiles propositiones,
præsertim contra tutores, aliosque legales,
vel conventionales administratores, qui ad libri
confectionem, ac retentionem tenentur, ita ob
librum, non omnino ordinatè tentum, eos re-
dargundo adeo fallaces, ut juramento in item
subjici mereantur; Sive quod etiam circa expen-
sas currentes, modicas, & verisimiles, hujusmodi
libris deferri non debet; Attamen istæ potius
dicendæ sunt leguleicæ superstitiones, per judi-
ciosum Iudicem negligenda; Attendo qui-
dem juridicas propositiones generales pro quo-
dam lumine generico, juxta supradictum exem-
plum vix, regulando autem arbitrium juxta qua-
litatem facti, ac singulorum casuum circumstan-
cias, & præsertim circa expensas verisimiles, vel
inverisimiles. dicta decif. 2.5. post Zacc. de ob. Ca-
mer. Buratt. & add. decif. 465. Gregor. & add. decif.
^{475. decif. 111. & 177. par. 7. rec.}

Soleat circa hanc speciem probationis dispu-

²³

tari, an illa dividì valeat, atque in parte attendi,
 & in parte impugnari, quia nempe velit quis
 uti libro contra scribentem in partibus sibi favo-

ribus, sed nolit illi deferre in partibus sibi
 præjudicialibus, ipsique scribenti favorabilibus;
 Atque in hoc, licet non desit confusa opinio-

nem varietas; Magistamen probabile, & com-

muniter receptum videtur pro regula, ut hæc
 divisio admittenda non sit; Ad instar eorum,
 quæ supra de confessione in civilibus dicta sunt;
 Intrat autem eadem limitatio ibi enunciata, quæ
 resultat ab obstantia contraria presumptionis,
 qualis urgere dicitur, quando liber detegatur
 minus fidelis, & alteratus. *in de credito disc. 78.*
 Sed pariter periculosem, minusque commendabi-

le est, cum hac generalitate simpliciter proce-

dere in omni casu, cum verius dicendum sit
 idem quod supra, & ut scilicet totum pendeat à
 singulorum casuum qualitate ac circumstan-

cias.

Datur item quædam species librorum, qui

licet de stricto jure sint privati, attamen quan-

²⁴

dam publicitatem præ se ferre videntur, &
 propterea quadam majori fide digni sunt, atque
 minoribus indigeant adminiculum, ad favorem
 scribentis, adeo ut quandoque sufficientes repu-

tentur in solo possessorio; Ut (ex. gr.) sunt libri
 vel diarii Baronum, vel Episcoporum, seu Ca-

pitolorum, & Monasteriorum, aliorumve pio-

rum locorum, pro decimis, responsionibus, ac
 tetricis, aut similibus, quod pariter certam non
 recipit regulam, sed pro facti qualitate est regu-

landum. *Marani. cons. 40. Buratt. decif. 870. decif.*
^{12. & 234. par. 7. rec.}

Ea quoque datur species codicum, quibus,
 non libri, sed scartafacci, seu simplicis bilancii
 nomen datur, atque legalium librorum formam
 non habent, & tamen integra fide digni reputen-

²⁵

tur, potiusque publici, quam privati dicendi
 sunt, ob plurimum privatorum concursum in idem
 ut sunt bilancia, seu quinterni, vel scartafacia
 nandinarum, in quibus adnotantur literæ, seu
 tractæ cambiorum, adeo ut ipsis literis amissis,
 ex eis, tanquam registris, vel prothocollis, novæ
 efformari valeant. *in de camb. disc. 6. & in aliis. Bich.*
^{decif. 481. & 501.}

Super illis libris Communitatum, qui sub ca-

tastris, vel astimi nomine appellantur, in quibus
 bona privatorum describi, & allibrari solent pro
 collectarum regulatione, questiones cadunt, an
 & quam probationem faciant; Vel circa valo-

²⁶

rem bonorum; Vel circa eorumdem dominium,
 ac pertinentiam, vel possessionem, & sic circa
 ea, quæ extranea sunt à fine, ad quem illi confe-

ssi sunt; Atque regula est, ut eis non deferatur
 inter tertios, bene tamen faciant adminiculum,
 vel adminiculati deterrant, cum distinctione
 inter illos, qui sciverunt & passi sunt, & ignaros,
 ideoque certa regula non cadit. *Post de manut. ob-*
<sup>ser. 27. Buratt. & add. decif. 317. Rovit. super prel. gm.
in Rubr. de appretio.</sup>

Demum etiam in illis casibus, in quibus ex
 jure municipaliter scripto, vel non scripto, sive ex
 aliis circumstantiis, us supra, fides libro, etiam
 favore scribentis præstetur; Adhuc tamen id
 procedit quando partita sunt pura; Secus au-

²⁷

tem si relativæ ad ordines, vel apochas, alias ve-

scripturas, cum tunc intret regula generalis de
 scriptura referente, non attendenda fine relato.

dicto disc. 68. de credito & in aliis ibid.
 Et de aliis ad materiam, perquiri poterit apud
 tractantes, cum sat videatur ista pro aliqua no-

titia adnotasse, præsertim quia ut præmissum
 est, revera non est materia capax regularum cer-

²⁸

tarum & generalium quibuscumque casibus ap-

plicabilium, cum totum pendeat à singulorum
 casuum qualitate, & circumstantiis.

De remissoriæ concessione, vel de ne-

gatione; Sive de admisione vel re-

jectione articulorum, ad effectum
 probationis per testes.

S V M M A R I V M.

DE questionibus super oppositione adversus pro-

bationem faciendam per testes.

² De